





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.





1. Hirschel: De pueris partium foetus ab illis adueto rum. 1729
2. Hirschfeld: De puerperarum pectore 1733
3. Hirschfeld: De incontinentia urinae
4. Hogg: De luce penicilia 1774.
5. Hocking: De officio oboletrientium in parte naturali 1738.
6. Hocite: De febribus pectore paroxyzantibus 1771.
7. Hofmann: De Erysipelate 1700
8. Hofmann: De scorbuto 1700
9. Hollerhoff: De aneurysmate in capite pueri 9 annorum 1722
10. Honold: De vera urae pleuritis pede 1722
11. Hornung: De parturientium situ 1733.
12. Kaecher: De aenea cubinaria supellentei. 1766. 1720
13. Luguerin: De aetia uteri post partum ejusque sequela haemorrh.
14. Kulreburth: De hysteride puerperarum 1764
15. Luxembert: De menstrui dolore fixo 1742
16. Fluth: De postea chorolatae.

435







I. N. J.  
DISSERTATIO 2  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
PVERPERARVM  
VALETVDINE.

QUAM  
PRÆSIDE SUMMO ARCHIATRO  
EX DECRETO ET AUCTORITATE  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE LEGITIMEQUE CAPESSENDI

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT.

JOHANNES PETRUS HIRSCHFELD,  
AVI-MONTANO-LAUTERBACENSIS

H. L. Q. C.

Ad diem 26. Junii MDCXXXIII.

---

ARGENTORATI,  
Imprimebat SIMON KÜRSNER, Cancell, Typogr.



IN ANGENEIS MEDICA

PVE REE FRA V M

VALE FVD NE

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO

ITAVIDE SUNVO ARVATTO





PER-ILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS  
S. R. I.

LIBERIS BARONIBUS

DE RIEDESEL,

AB EISENBACH ET LAUTERBACH

MARESCHALLIS

UTRIUSQUE HASSIÆ HÆREDITARIIS

EQUITIBUS LIBERÆ ET IMMEDIATÆ

S. R. I. NOBILITATIS FRANCONIÆ

IN DISTRICTU RHOEN ET

WERRA

EXCELLENTISSIMIS,

SAGATIS TOGATISQUE VIRTUTIBUS  
UNDIQUAQUE CONSPICUIS,

IN DEUM PIETATE SINCERA,

IN SUBDITOS CLEMENTIA SINGULARI  
PER UNIVERSUM ORBEM DUDUM

FAMIGERATISSIMIS.



2.  
DOMINIS SUIS

SUBMISSO OBSEQUIO

AC

PERPETUO PIETATIS CULTU  
DEVENERANDIS,

AUSPICATAM REGIMINIS FELICITATEM,  
SEMPITERNUM FORTUNARUM INCRE-  
MENTUM, IMMORTALEM FAMI-  
LIÆ SPLENDOREM,

EA, QVA PAR EST, ANIMI SUBMISSIONE,  
APPRECATUR,

HANCQUE

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM,  
IN SUI STUDIORUMQUE SUORUM COMMENDATIONEM,  
SUBMISSA HUMILLIMAQUE MENTE  
OFFERT

TANTORUM NOMINUM

Devotissimus & Subjectissimus  
Author,





# PRÆFATIO.



*V*erus, indubius & pervulgatus omnibus  
jamdum innotuit versiculus

Contra vim mortis non est medica-  
men in hortis.

*Aut uti Seneca Lib. 2. quæstion: na-  
tural. capit. ult. eloquitur, mortem nulla*

*diligentia evitat, nulla felicitas domat, nulla potentia  
evincit, alia fortuito disponuntur, mors omnes æque  
vocat: iratis diis propitiisque moriendum est. Quam-  
vis, inquam, omnibus id notum est, attamen in præoccu-  
panda morte, & tractandis morbis, multa prudentia opus  
est, ne temere in se quicquam suscipiat Medicus, ejus  
eventus egrotò luctuosus, arti vero & Medico ignominio-  
sus esse potest. Unde diligenter dictum Cauliacensis Gui-  
donis secum perpendat, quippe qui in præfatione genera-  
li apostematum dixit, Cave a malis curis, ne nomen ma-  
li Medici subeas. Hoc certe si in quopiam valet morbo-  
rum genere, in eo potissimum, quod sexum sequiorem in-  
vadere solet, valere potest. Quis n. nescit, sexum hunc-  
ce sequiorem præ potiori innumeris morbis obnoxium esse;  
Unde etiam Helmontius suo jam tempore exclamavit,  
fœminam omnem bis pati morbum, per id intelligens  
fœminas pluribus affigi morbis quam viros. Hoc autem  
inde venire docuerunt, quia diversa gaudent corporis di-  
sposi-*

EM,  
E-  
E,  
M,  
EM,





spositione & textura. Vel quidam a vivendiratione, vel etiam à partibus sexui huic propriis deduxerunt, qualis imprimis est uterus. Ob frequentiam ergo morborum feminis infensorum, constitui in presenti hacce Dissertatione Inaugurali, de morbis sequioris sexus & in specie de MORBIS PUERPERARUM agere. Prius vero monendum esse censeo, me hac in dissertatione dietam non esse præscripturam mulieribus in genere omnibus, absque ullo respectu ad earum conditionem & sortem, sed tantum in specie iis, quas tam naturales, quam etiam vitæ victusque genus, nec non tenerior & exquisitoris sensus corporis constitutio ab aliis vilioris sortis robustis & ad labores duriores natis distinguit. De his igitur sermo non est, nam ille, præsertim rustica ad robustas etiam referendæ sunt, quæ non tam facile à rebus externis leduntur. Supervacaneum etiam foret, his dietam commendare, cum partim eam observare non possint, partim nolint, partim etiam sumtus iis deficiant. Possunt quidem ad harum statum nonnulla applicari, sed multa etiam B. L. in his paginis inveniet, quæ tantum delicatioribus quadrant. Melioris vero ordinis causa hanc dissertationem disperse placuit in VII. Capita, quorum primum de retentione secundinarum. Secundum, de doloribus post partum, sociatis cum hysterica passione. Tertium, de feбри lactea. Quartum de lochiorum vitiiis & hæmorrhagia uteri. Quintum de Puerperarum purpura. Sextum de Uteri procidentia, & denique ultimum de optima & recta Puerperarum diætâ, agere debet. Cæterum B. L. si non omnia debito ordine prolata animadvertes, in re adeo ardua atque intricata & commissorum & omissorum veniam enixe abs Te peto. Faxit SACRO SANCTA TRINITAS ut feliciter!

CAP.



CAP. I.  
DE  
RETENTIONE SECUNDARUM.

## §. I.

**S**Ubdurissima fatorum lege foeminas natas esse, non inique quis dixerit: Pereunt namque saepe, nisi pariunt, adhuc vero saepius pariendo pereunt, saepissime vero pereunt, dum jam peperere. In omnia vero haecce morborum genera, quae eas quocumque tempore aut modo invadere solent, inquirere nec instituti ratio postulat, nec pagellarum angustia permittit. Sufficiat mihi in praesentiarum de his, partum insequentibus, verba fecisse. Mulier cum infantem peperit, non statim puerpera est vocanda, etiamsi partus quam maxime fuerit ruralis, sed opus est, ut & secundinae cum membranis foetum involventibus ex utero expellantur, materque ab iis liberetur. Quod si vero sit, ut excluso foetu praeter naturam detineantur secundinae, varia symptomata inde aegrotam mulierem invadere solent: Quam ob rem haecce primo loco examini subjiciam.

## §. II.



( 4 )

§. II.

Nomen hocce ipsis teste *Veslingio Syntagm. Anatom. cap. 8.* partim ab officio, partim à modo excernendi datum est, *Græcis δευτέρα*, item *δευτερα*, *ύσπα* appellantur, aut *Galen. 5. Aphor. 49.* ideo quod secundum ab utero foetui sint receptaculum, vel quod secundo post foetum egrediantur, eumque subsequantur. *Barthol. instit. anat. l. I cap. 36. de membran. fat. involv.* vulgo vocantur *die Nach-Geburth*. Litem vero hanc dirimendam aliis relinquo, omittens simul consulto homonymiam & synonymiam hujus vocis. Sicuti etiam secundinarum originem, membranas foetum includentes, vasa placentæ, eorumque adhaesionem cum utero, sicco transeo pede; non ac si rerum Philologicarum & Physiologicarum essem for, aut si nescirem, quale commodum ex hacce enodatione & elegantioris doctrinæ apparatu ad disputantes redundare possit, sed id ipsum his potius fit de causis, quod de medicis auxiliis magis, quò primaria dissertationis intentio tendit, sim sollicitus.

§. III.

Quam primum jam Obstetrix infantem gremio excepit, funiculum umbilicalem aut ipsamet debet præligare & abscindere, aut aliis id faciendum committere; ipsa v. ocyus manu in uterum immissa, secundinam omni adhibita cura extrahat; qua non bene peracta, puerperæ uterus sanguine sæpe impletur, qui demum conglobatur & putrescit, unde facile delirium, insomnia, continua febris, immodicus sanguinis fluxus, & tandem  
non



non raro ipsa mors miseris infertur. Quæ plerumque ingenti labori imputatur, quum revera sæpius ex neglecta uteri purgatione provenierit, uti hac de re legi meretur *Mauriceau Traité des accouchemens Lib. II. Cap. 9. La Motte* in tractatu suo Gallico idiomate conscripto, hinc inde variis quoque confirmavit observationibus, & *Dionis Traité des accouchemens, Lib. III. cap. 5. & 6. Viardel cap. 29. Dekker exercit. Pract. p. 64.* Equidem non ignoro, dari etiam Medicos, qui artis obstetricandi haud satis gnari, in libris suis hinc inde commendavere, secundinas absque ullo matris periculo tuto in utero per longum temporis spatium permanere posse, in quorum numerum referendus est *celeberrimus aliàs Anatomicus Frideric. Ruyschius*, quippe qui in *Tract. de Musculo uteri* eandem obtinuit opinionem. Ast cum tristissima experientia contrarium edoceat, & moesta partim à supra allegatis Authoribus, partim etiam a *Tulpio, Cornelio Stalpart van der VViel, Fabricio Hildano E. N. C. Bartholino, Platero &c.* observata exempla prostant, non possum non, quin obstetrices exhorter, ut omnem adhibeant curam, quo uterus statim ab istis expurgetur.

§. IV

Hæc autem Cura unice è fonte Chirurgico pendenda est, quæ enim ex Pharmaceutico desumuntur, uti sunt errhina, & totum corpus commoventia, pel-  
 lencia sic dicta specifica medicamenta, purgantia, vo-  
 mitoria, emollientia, in-vel externè adhibita, vel  
 etiam cataplasmata, externè applicita &c. ea omnia  
 partim plus nocent quam prosunt, partim eventus vir-  
 tutes medicamenti rarò sequitur. Quam ob rem hæc  
 B in



in casu nihil aliud est suadendum, quam ut obstetrix manum suam utero immittat, adhærentem secundinam sensim sensimque blandissimis ab utero avellat & removeat digitis, aut si illam jam liberam inveniat, provide educat. Hôc factô uterus, sublatâ resistantiâ, melius se contrahere, oscula vasorum dilaceratorum magis claudere, & nimium, ab hac intermissâ secundinæ extractione aliâs ortum fluxum lochiorum impedire potest, ut ægra hac ratione præsentaneum vitæ periculum, & mortem, aliâs certissimè secuturam, effugiat. Situm, quem in operatione sibi eligere debet mulier, quod attinet, paucis moneo, ut in talem feratur, qui & ipsi & operatori congruus est, utrum jam lecto incumbat, aut sellæ insedendo extractionem subeat, modo non citam ac tutam operationem turbet; & optimè fit, si illa statim post foetum exclusum, puerpera in eodem, quem in parturiendo habuit, situ, permanente, instituitur. Sed satis de hoc affectu, mei nunc est studii, puerperarum dolorem post partum examini subicere,

## CAP. II

# DE DOLORIBUS POST PARTUM.

### §. I.

Quamprimum à secundinis liberatæ sunt mulieres, necesse est, ut mox ad requiem transferantur, & in lectum propterea deportentur optimè instructum. Eo maxime simul respiciendum, ne refrigerentur, monendum igitur est, ut lectus moderate sit calidus, omniaque ea, quæ puerperæ conveniunt, suadeantur, quæ



quæ vero illi incongrua sunt, evitentur. Ast quamvis & medicus & obstetrix & puerpera omnem sapius adhibeant diligentiam, omnesque præscribant & observent regulas diæteticas, minime tamen impedire possunt, quin atrocissimis quandoque excrucientur doloribus puerperæ, qui dolores partum insequuntur, & Germanis *die Nach-Wehen* audiunt. De his jam dicendum.

## §. II.

Quales dolores intelligantur, modo dictum, & omnibus notum est; igitur etiam definitionem amplam de iis tradere, supervacaneum duco. Sufficiat ergo hoc loco dixisse, me eam doloris speciem hic intelligere, quæ partum sequitur. Eam vero refert faciem, ut ægræ in regione hypogastrica dolorem perferant plus minus atrocem, veris sapius doloribus ad partum duriores, & ratione sensus dolorifici varium, hinc sæpissime admodum excruciantur, uti plerumque ipsæ exprimunt, doloribus vel lancinatoriis, vel punctoriis, vel pulsatoriiis, vel gravativis, vel tensivis, vel urentibus &c. aut pro diversitate subjectorum, majori vel minori sensibilitate præditorum, aliis vexantur symptomatibus, unde etiam in vernacula proferunt, *sie wolten lieber noch ein Kind gebähren*. Nunc enim adsunt tormina abdominis, quæ pro operatione uteri vulgo à mulierculis habentur, & sic exprimunt, *die Mutter sey unruhig, und noch nicht in ihrem Häufel*. Facies quandoque livido subducitur pallore, artus tremunt & refrigerantur, vox etiam sapius perit, sensus obtunduntur & aliquando prorsus obliterantur, nunc cardialgia, palpitatione cordis vexantur, de insigni conqueruntur cephalalgia, delirant

B

quan-



quandoque, & alia experiuntur symptomata, quæ passionem hysterica comitari solent. Quippe insultibus epilepticis nonnunquam affliguntur, & quasi mortuæ jacent sine omni motu ac sensu, sine respiratione ac pulsu sensili, qualia exempla observavere *Tim. a Guldenkleee L. IV. cap. 10. Schenckius L. IV. observ. Horstius Tom. 2.* & supra allegati Authores obstetricantes, Falluntur ergo mulierculæ, putantes, utiles esse puerperis hosce dolores, quia juxta earum opinionem ab istis promoveatur lochiorum fluxus, quod tamen falsissimum, ut recte etiam inquit Sylvius, quoniam negligitur idcirco & impeditur à multis dolorum dictorum, tanquam utilium, secundum opinionem earum, curatio; cum tamen sæpe eorundem neglectus causa fuerit necis multis puerperis.

§. III.

Medico prudenti haud difficile erit causam hujus mali inspicere, cum partus præcedaneus sufficientem illi monstrat viam. Differunt tamen admodum Authores in recensendis & explicandis causis horum dolorum, & symptomatum reliquorum, ab iis productorum. Sic *VVillisus Lib. de Morb. convuls. cap. 10. Sydenham Oper. Sect. IV. c. 7.* opinantur, utero in hysterica passione nullam culpam, sed eam tantummodo cerebro & generi nervoso esse adscribendam. *Highborus Exercit. de affect. hysteric. c. 3.* pulmones & imprimis sanguinem cum impetu in illos irruentem pro causa dolorum hystericorum annuit. Alii alias de iis fovent sententias, quarum recensione, brevitati studens, supersedeo. Sufficiat itaque loco hoc uterum accusasse & dixisse, fomitem hujus morbi in fibris, illum



lum componentibus latere, quæ fibræ, quoniam in gravitate nimis extensæ fuere, nunc, in lucem edito foetu, secundinis expurgatis, & sic nulla amplius præsentē resistētia, spastice sese contrahendo in pristinum statum se restituere, pristinamque naturalem capacitatem recuperare conantur, unde fibræ, prius talem vim passæ, ut & oscula vasorum sangviferorum, vel sine vel cum magna violentia dilaceratorum, ad se invicem approximata & cum impetu allisa, talem molestam & dolorificam puerperæ pariunt sensationem. Sic & flatus vel alia acria in intestinorum canale retenta hoc malum augere possunt, ut & prava diætā, de qua infra fusius loquendi occasio erit.

§. IV.

Ad compescendum igitur hunc morbum intus extusque usurpanda veniunt remedia, quibus spiritus, in inordinato constituti motu, ad requisitum placidum reducantur motum, quæque nervis naturalem elasticitatem conciliare & reddere valent. Mauriceau & Dionis in libris suis quidem varia nobis exhibent, quæ ægrotis propinabant; cum vero malum hæc remedia eluderet, aliis itaque opus esse censeo, atque primo loco commendo, ut mulier de Ol. amygd. dulc. rec. express. cum-syrup. Violar. aut alio quopiam singulis bihoriis cochlearia quædam hauriat. Vel si non respuit de linctū ex ol. amygd. dulc. cum Spermat. Cet. & Syrup. Dialth Fernel. parato, singulis horis cochleare sumat, & de infuso Theiformi ex speciebus pro decoct. nephrit. Forest. cum floribus Sambuci & Chamomill. parato, cyathum calide ebibat. Remedia





dia absorbentia etiam in usum vocari possunt, qualia sunt oc. cancror. antimon. diaphoret. succin. alb. ppt. Cinnabar. antimon. de quibus subinde dosis exhibeatur. Vel essentia sunt suadenda, quales sunt Ess. Carminat Wed Cort. Aurant. Abiynth. succin. myrrhat. anodyna & quæ sunt alia. Aquæ destillatæ quoque præscribi possunt, e. gr. Aquæ sic dictæ hysterica, vel etiam Ol. Chamomill. coerul. guttatim vel in vehiculo conveniente vel cum Saccharo propinari potest. Externe vero conveniunt facculi calide abdomini impositi, quales parantur ex herb. salv. Rut, Majoran. Rosemarin. fl. Sambuc. Chamomill. Verbasco. Malv. &c. Ol. Chamomill. destillat. umbilico & abdomini inungi quoque potest. Clysteres, ubi vel alvi constipatio adest, vel colica flatulenta hunc concomitatur morbum, quoque haud exigui usus sunt. Ex hisce recensitis remediis quilibet pro ratione causarum cognitarum, itemque pro ratione subjectorum, eorumque constitutione, facile eligere poterit remedia, cuique individuo maxime congrua. Quod vero remedia sic dicta specifica attinet, quibus omnes fermè obstetricantium libros repletos invenimus, ea commendare minime possum, cum eventus virtuti, medicamento attributæ, raro respondeat. Diætam, à puerpera observandam, hic iterum omitto, infra de ea sermones facturus.

CAP.



CAP. III.  
DE FEBRE LACTEA,

§. I.

Puerperas Symptomata plura comitari, supra jam-  
dum indigitavimus, & duo horum examinavimus,  
nunc & febris sic dicta lactea describenda venit, quam  
foeminae nostrates per vocem, *Milch-Frost*, expri-  
munt. Est autem febris lactea, febris continua, ut  
plurimum ephemera, puerperas, dum lac in mammas  
confertim prorumpere incipit, affligens. Accidit ni-  
mirum aliquot post partum diebus cum levi horrore,  
quem calor, magis vel minus intensus, sitis, mam-  
marum intumescencia, lumborum dolor, inquietudo  
totius corporis, vigiliae, lassitudo, appetitus imminu-  
tus subsequuntur. Quam comitari solet aliquando in-  
flammatiō aut erysipelas mammarum, aliarumque par-  
tium.

§. II.

Causa hujus febris formalis est strictura spasmo-  
dica mammarum, Sanguini ab utero versus mammas  
regurgitanti, circulationem & motum denegans, ver-  
sus cor illum reprimens, & sic causa caloris mammas,  
& in consensum simul tractâ totâ peripheriâ corporis,  
eam eâdem privans, unde horror, quem subsequitur  
æstus, quando nempe vis cordis resistentiam mamma-  
rum & cutis superavit, sanguinique liberum per eas mo-  
tum procuravit,

§. III.



## §. III.

Prognosin si spectes, nisi uteri obtingat inflammatio, aut aliâs massa sanguinea crudioribus admodum aut acrioribus particulis depravata sit, febris hæcce, observatis regulis diæticis, neque periculosa est, neque diu durat; si vero alia eam concomitantur symptomata, tunc etiam difficilior redditur, inque ardentem non raro, periculosam aut malignam mutatur, de qua cap. V.

## §. IV.

In Febrî hæcce conveniunt partim nitrosa, temperantia, partim etiam alexipharmaca, una cum regimine modestè diapnoico. Alvus debet esse libera, ubi imprimis etiam clysteres commendandi sunt; potus sufficiens præbendus est, sed tamen non frigidus, non crassus. Mammæ cum linteis calidis fricandæ & in calore moderato perpetuo asservandæ, requies & diæta bona injungendæ quia inquietudo semper exasperat motum febrilem, quin etiam, si opus est, exfugendæ sunt mammæ, & spontaneæ frictiones mammarum conveniunt, quo multum contribuit frictio mammarum cum leni excutia. Quam maxime vero evitanda sunt remedia sic dicta Bezoardica, quin etiam emplastra & cataplasmata, quæ alias mammis imponi & applicari solent, mulieri sunt dissuadenda, quoniam ejusmodi remedijs regimen diapnoicum turbatur. Potus v. est propinandus & concedendus, imprimis vero decoctum quoddam calidum Theiforme aut Coffèe. Si sudor ejusmodi modo promovetur, lochiaque bene fluunt, febris hæcce paucis



paucis horis diminuitur , mulierque ab illa liberatur,  
Et hæc sufficiant de feбри lactea,

CAP. IV.

DE LOCHIORUM VITIIS.

§. I.

Monet nunc tempus & brevitatis studium , ut ad lochiorum properem vitia , eaque exploranti meo subijciam stylo ; Hoc vero malum duobus peccare solet modis, I. n. in excessu, & nimius lochiorum fluxus appellatur, vel in defectu, & suppressio lochiorum nomen ipsi competit. De utroque hoc in capite sermo mihi erit. Est autem fluxus nimius hæmorrhagia uterina, puerperis contingens, ob vasa uteri disrupta, nimium aperta, hiantia, & sanguinem in cavitationem uteri effudentia. Cum enim uteri substantia toto gestationis tempore multum infarciatur, & intumescat a sanguinis unda, copiosiori impetu tunc temporis affluentis, fieri solet, ut non modo immediate post partum, factamque secundarium extractionem, notabilis quandoque subsequatur hæmorrhagia, quæ sub nimio lochiorum intelligitur fluxu.

§. II.

Non admodum rarus est hic lochiorum excessus cum primis in fœmellis admodum plethoricis, quæ antea, nimirum ante ingravidationem, largioribus menstruis evacuationibus adsuetæ fuere, tantoque magis, quando sub ingravidatione alimenta, eaque lauta, affa-

C tim



tim assumerunt. Deinde etiam disponunt ad excedentem hunc fluxum, neglectus artificialium sanguinis ventilationum sub hoc statu: Porro quando tales foemellæ activioris fuerint animi & iracundi, nec non quando ante partum multa calida assumerunt remedia, aut sub partu ejusmodi remediis, partum promoventibus, tractatae fuerint, aut quando sub doloribus ad partum nimiae inquietudini indulserunt: aut si statim post puerperium inquietæ sunt, neque situm in lecto, ipsis convenientem, observant, cruraque à se invicem valde deducunt; aut portio quædam secundinarum in uteri cavo derelicta fuit, uti supra jam indigitatum Omnes hæ causæ excedentia reddere solent lochia, ubi v. prudenter observare debet Medicus, in quo hic excessus consistat, ne justum lochiorum successum pro excessu habeat, neve propterea immature lochia perturbet.

s. III.

Omnem igitur diligentiam adhibeat Medicus, ut nimius hic fluxus compescatur, alias enim sub tali fluxu, nullis in usum vocatis remediis, prorsus intereunt, quod tristissima quotidiana experientia edocet. Curatio autem hujus affectus duplici absolvitur indicatione (1.) per comperationem turgescentiæ sanguinis, & motus excretorii. (2.) Per moderatam cohibitionem excessus. Mitigatio succedit, partim per remedia temperantia, Nitrosa, absorbentia, cinnabarina, partim per interna discutientia, quæ hanc congestoriam commotionem, distribuendo æqualiter sanguinem, mitigant. Unde hoc nomine conveniunt Emulsiones  
ex semin.





ex femin. frigid. major. & minor. paratæ ; opiata vero  
 caute & parca manu sunt propinanda : Uti & Clysteres  
 talem excessivum fluxum leniunt, quia congestorios  
 motus in hisce partibus inferioribus demulcent. Hau-  
 stum aquæ frigidæ statim post partum exhibitum, hæ-  
 morrhagiam ejusmodi egregie compefcere, ex ore *Ex-  
 perientissimi Domini Doctoris Fridii, Practici hujus urbis  
 famigeratissimi, Præceptoris mei in arte hacce obstetri-  
 candi fidelissimi*, percepi, quippe qui hoc modo, abs-  
 que ullis aliis remediis, morbum huncce fatalem cu-  
 rasse, ægrotasque, morti proximas, revocasse, mihi  
 communicavit. Inter externa remedia commendant,  
 lintea aceto immerfa, frigidiuscule lumbis & regioni  
 hypogastricæ applicata, & quæ sunt alia. vid. *Mauri-  
 ceau l. c. Lib. III. cap. V. Dionis. l. c. Lib. IV. cap. IV.* Liga-  
 turæ quidem etiam l. manus l. pedis, sed absque ullo  
 effectu salutari, à quibusdam suadentur. Cingulum ex  
 fol. hollebor. alb. context. singulare est experimentum.  
 Etmulleri, quo pubis regio circa lumbos cingi debet.  
 Alii commendant inunctiones ventris, cum oleo ma-  
 stichino, myrth. quibus aspergunt quoque horum pul-  
 veres. Omnia autem hæcce remedia ultima vice com-  
 memorata nullius usus esse merito censeo, cum malum  
 hisce non curatur, sed pejus quandoque redditur. Sic  
 uti & cucurbitulæ, mammis applicitæ, mérito a pru-  
 denti medico sunt dissuadendæ.

§. IV.

Nimum lochiorum fluxum excipit suppressio vel  
 retentio eorum ; Quæ est sanguinis è vasis uterinis  
 puerperarum, post exclusum foetum atque secundinas  
 C 2 hianti-





hiantibus, jugiter alias fluere consueti, subsistentia, nunc subito, nunc paulatim, à suis causis producta. Perfrequens est talis affectus, & per varias causas occasionales concitatur. Producitur vel ex nimia Plethora ipsa, si sanguis simul paulo spissior fuerit, ubi talis sanguis intra uterum impulsus, infarctus & stagnationes inducit: Maxima ex parte vero oritur ex malo regimine, nimirum ex admissa refrigeratione, aut mala diata, quando ejusmodi alimenta & potulenta assumere puerperæ, quæ visceribus abdominis stricturam inferunt, aut quæ commotiones flatulentas, torminosas in intestinis provocant, ut progressus sanguinis graviter perturbetur. Hinc crudiora alimenta, fermentescentia, aut potus tales sæculenti, frigidi & fermentescentes facillime lochiorum fluxum impediunt. Tandem etiam oritur ex animi pathematibus, maxime opere terrore, sub quo repente universo corpori alteratio induci solet: vel moeror multus & tristitia immodica, unde inhibetur sanguinis fluxus & delitescit in uteri cavitate, ex quibus stasibus facile corruptio putrida extimescenda est, aut experiuntur angustias internas, cardialgias, suffocativa etiam pathemata, spasticas tractiones in abdomine, febres inflammatorias & acutas, internos ardores, multam virium dejectionem, quibus non raro etiam, nisi tempestiva medela ordinetur, luctuosa mors supervenit.

## §. V.

Quando igitur ex ejusmodi suppressione pejora mala, imprimis autem uteri inflammationem, gangranam, spha-



sphacelum, aut febres malignas funestas gigni posse, sæpius observatum fuit. Haud immerito omnis statim à Medico cura eo impenditur, ut naturalis ille fluxus denovo provocetur, atque imminetia hinc mala præcaveantur. Quam ob rem impedimenta removeantur, quæ fluxui lochiorum resistunt. Impedimenta v. sunt vel dolores, vel spasmi circa uterum & loca vicina, l. commotiones sanguinis turgescætoræ, l. alvi obstipatio, vel denique strictura utero indusæ. His jam occurrunt remediis temperantibus, Nitrosis, absorbentibus, & cinnabarinis; deinde per fomenta calida, regioni umbilicali applicita, per clysteres emollientes, per Venæ sectiones, per pediluvia, & quæ sunt alia, hinc morbus aliquo modo compescitur. Cautè tamen agat Medicus, ne inconsulto impellentia calida & massam sanguinis in nimium motum commoventia exhibeat; alias enim triplex inde evenire solet malum. Vel enim suppressio magis augetur, vel repentina hæmorrhagia excitatur, vel febrilis suspecta commotio oritur. Unde rectius adhibenda sunt remedia selectiora alexipharmaca, quæ dum æqualiter sanguinem distribuunt, æqualius quoque lochia promovent. A nimio vero usu aloëticorum, colocynthic. abstinendum est, quia vel diarrhoeas suspectas inducunt; vel irregulariter morus congestorios ad inferiora loca provocant, vel illis viis posthac aliquam incongruam stricturam inferunt.



## CAP. V.

## DE PUERPERARUM PURPURA.

## §. I.

Quæ alias gaudia & triumphos comitatur purpura, affectui etiam huic periculoso nomen dedit, quem jam paucis examinare decrevi, de nomine vero, & ejus origine, sollicitus haud ero, sic & sicco transibo pede etymologiam hujus vocis. Quam ob rem, missis hisce, ad definitionem potius me accingo. Purpura ergo febris est catarrhalis æmula, exanthematica, qua motu systematis tam vasculosi quam nervosi intensiori, materia lymphatica corrupta, ex interioribus partibus, ad summam cutem, seu conveniens emunctorium, sub forma pustularum minimarum miliarium, asperarum, rubrarum l. albarum producitur. Germanis *der Griesfel* audit. Neque tamen putandum est, novum esse hunc morbum, & nostro demum seculo natum, cum si antiquos audiamus medicæ artis parentes, febres puerperarum veteribus fuerint cognitissima, variantes licet pro regionis individuorum, & aliarum circumstantiarum modulo. Secus sentientes ad unicum *Hippocratem* ablegasse sufficiat. *Libr. n. 11. de morbis cap. 68.* scribit, καὶ κνισίμυκταται πορφῶν ὡς ὑπὸ νιδῶς, & rubicundis cutis eminentiis impletur, velut ab urtica inustis,

## §. II.

Non eadem semper purpuræ est facies, ludit vicissitudine vultus, ac simulat sæpenumero vires suas pessi-



peffimas ; hanc ob causam sub variis speciebus sese fistit ; Tanta namque scelerum farragine hic scetet affectus ut ægros aliquando , ac Medicos pro ludibrio habeat , mox enim se repræsentat exanthematibus rubicundis , mox alio se deformat fuce , rubentibus efflorescentiis albidas innatantes gerit , altam quasi sedem in illis occupantes . Uti hujus affectus varias species *Johann. Storchius alias Hnltric. Pelarg.* dictus in *Praxi sua Stabliana Sect. I. Membr. VII. de febribus malignis describit.* Et quidem 1.) *Purpura rubra* meminit , ubi deprehenduntur exanthemata rubra miliaria in peripheria corporis , per motus secretorios & excretorios auctiores expulsa . 2.) *Pupuram Albam* commemorat , quæ quidem etiam quandoque cum cutis rubedine sese manifestat , exanthemata vero in vesiculas , lymphæ alba repletas , mutantur , unde etiam in actis Vratislav. *Der Wasser = Friesel* nomen ipsi datum fuit . 3.) *De Purpura pellucida* loquitur , quam purpuræ speciem ita se manifestare autumat , ut exanthemata vesiculæ pellucidæ vel crystallinæ nominari possint ; Ita enim sunt diaphanæ , ut oculis vix percipiantur , nulla , inquit , ipsis est rubedo , & partim lymphæ quadam , partim aëre , sunt repleta . Idem etiam mentionem facit purpuræ benignæ , quæ absque febris invadere solet ; nec non *febris miliaris* , quam vulgo die *Nessel = Sucht* nominant . & denique *febris scarlatine* , *Scharlach = Fieber* descriptionem sistit . De quibus omnibus modo cit. auct. legi meretur .

s. III.

Satis jam figuram affectus hujus depinxisse credo , nunc quoque ad ejus causas progredior . Causas autem



tem omnes, quibus tristissimus hicce morbus excitatur, si recensere vellem, laborem in me susciperem, humeris meis imparem. Cum enim ex supra jam dictis constet, corpus nostrum à tot tantisque rebus alterari, inque varios morbos conjici posse, veniam facile me impetraturum, confido, si saltem quarundam meminero. Consistit igitur primaria purpuræ causa in sanguine, cum nimirum nimium<sup>1</sup> acris & causticusest, qua dictione etiam facillime patet ratio pruritus, rubedinis ac exanthematum. Aut si lochiorum fluxus a re quadam l. impeditus l. plane suppressus est, hinc febris supervenit, quæ facile in inflammatoriam degenerari potest. Porro etiam iis evenit, quæ lauto & pollucibili victui assuetæ, non nisi leves cibos, farinacea, placentas, dulcia, fermentescibilia & horæos fructus admittunt, it. quæ parco potu, crasso, & aqua quoque impura & squalida utuntur. Quæ in aëre degunt insalubri, minus puro, sed vappido, multisque sordidis & putridis halitibus referto atque corrupto; quo purpuram subinde generari, maligniorem fieri, imo epidemicam quandoque reddi, experientia docet. Neque minus præ aliis morbo huic patent, quæ laxiorem corporis habitum & temperamentum sic dictum sanguineum & phlegmaticum obtinent,

## §. IV.

Cur autem puerperis infesta purpura alba maxime & maligna sit, id *Excellentis. Dom. Doct. Frid. Hoffmann. in Medicin. Ration. systemat. Tom. IV. Sect. I. cap. IX.* docuit, foeminarum, ait, plurimæ, redundantius in corpore alunt lymphaticos & aquosos humores, adeoque



que acidæ potius patent humorum vappescentiæ, quam salino-sulphurææ corruptioni, & ob id purpuram potissimum nanciscuntur albam. In gravidarum dein utero sanguinis tam progressus, quam regressus, ob nimium eo appulsum, & vaporum distensionem, valde languidus est & tardus. Hinc subsistente ibi diutius sanguine, lymphaticus humor in vasa, ipsi vehendo dicata, magna copia secedit. In quorum diverticulis quasi incarceratus hærens, longiori mora vappescit, corrumpitur & acorem contrahit, avolantibus, quæ mixtionem conservant, spirituosis & subtilioribus particulis. Quandocunque igitur, enixo foetu, uterus concidit iterum, neque squalidus lymphaticus humor cum sanguine sæculento lochiali sufficienter expurgatur, accedente ordinario tertio puerperii die, motu febrili, Germanis *das Milch-Fieber*, in vasa majora is reprimitur, ipsique cordi infunditur, ex quo magni instar fermenti, per corpus diffunditur, totamque sanguinis lymphæque massam inquinans, vires dejicit, vigorem animi pessundat, anxietates pectoris, compressiones, suspiria, cordis tumores cum spiritus difficultate facit, sudores colliquativos mucidos, corruptum acorem redolentes, nonnunquam plane frigidus, suscitatur somnum arcet, donec vel brevi post, tertio aut quarto à puerperio, interdum septimo, quandoque etiam decimo quarto demum die, in conspectum prodeat hoc exanthema.

#### §. IV.

Cognitis jam tristissimi hujus affectus causis, signa tam diagnostica quam prognostica paucis quoque re-

D

cen-



censenda. Signa quod attinet diagnostica, exinde col-  
 ligenda sunt, dum puerpera horrore invaditur, quem  
 dolor capitis ut plurimum gravativus cum somnolen-  
 tia comitatur; agrotæ conqueruntur de angustiis &  
 anxietatibus præcordiorum, respirandi difficultate, tussi,  
 & quæ sunt alia; exanthemata erumpunt feminis milii  
 & cutis anserinæ instar cum prurigine & punctione in-  
 tercutanea. Inter suspecta vero in purpura signa com-  
 memoranda sunt, quando exanthematibus sufficien-  
 ter expulsis, pulsus præter naturam durus & auctus  
 manet, somnus nullus, inquietudo magna & respira-  
 tio difficilis, quando statim sub initium & per totum  
 morbi decursum sudores effusus manant, urinæ pal-  
 lidæ copiosæ redduntur, & continuus ad mingendum  
 stimulus, vel etiam urina crassa, antea & tincta, subito  
 limpida, tenuis & pallida prodit, nec non quando al-  
 vus cum torminibus nimis fluit. Mali præ sagii  
 porro est, si pustulæ purpuracæ modo comparent,  
 modo evanescent, & symptomata vehementia semper  
 infestant eadem. Pejus adhuc, si materia relapsa inte-  
 rioribus firmiter inhærescit, omnique expulsionem obi-  
 stit, hincque fauces stringuntur, virium prostratio in-  
 crescit, & præcordiorum anxietas cum inquietudine  
 augetur; funestissima demum indicia, quæ hærente  
 intus deleteria materia, interiora ardent, & extrema  
 frigent, ac rigent, simulque copioso frigido sudore per-  
 funduntur. Hæc enim ubi præsto sunt, agra ut plu-  
 rimum lipothymia occumbit lethali.

§. VI.

Purpuræ curatio ad tria hæc redit momenta I. )  
 ut vitiosa quæ subest acris, nervosis partibus infesta  
 materia;



materia, corrigatur, ac temperetur. 2.) Ut spastica fibrarum nervearum inde productæ stricturæ laxentur. Et 3.) præparata materia placide per cutis emunctorium evacuetur, nec retrocedat. Ad acredinem diluendam, & nervosas male affectas partes mulcendas, apprime utiles sunt Emulsiones cum absorbentibus paratæ, sicuti non exigui sunt usus Pulveres temperati Bezoardici, cujus generis est Pulvis Bezoard. Ludov., Sennert., Bezoard. Mineral., vel Bezoard. Wedel., cum ocul. 69. Antimonio diaphoret., Cinnab. nativ., Nitro depurat. vel perlato. Guttatim propinari potest cum vehiculo idoneo Essent Alexipharmaca Stahlî, Mixtur. simpl. Liquor. C. C. Succin., Tinctur. Bezoard. Wed. Elix. Propriet. Paracels. &c. vel etiam Liquor. Anodyn. Hoffmanni, Paulus Neueranz de purpura cap. 23. exhibet radicem contrajervæ Theriac vet. Spirit. Card. Ben. Spirit. Camphor. aq. galang. acetos. &c. Tincturam Bezoardicam nonnulli verentur, quoniam prostant exempla, in quibus hujus usu ad insignem præcordiorum anxietatem deliriumque deductæ fuerint hujusmodi ægræ, id quod etiam per salia volatilia, excessive adhibita, excitatur. Salia n. abundantia in corpore, dum à volatilibus remediis subito solvuntur, Massam sanguineam in motu magis turbant, æstumque conciliant validiorem. Calida hausta proficuum quoque exhibent solamen, ubi famosus ille potus Thée & Caffée principatum tenet, cujus usus tamen illis, quæ ab hoc se laxari sentiunt, ut nonnulla occurrunt subjecta, dissuadendus; & si aliquando invitis nobis contigerit ejusmodi ani profluvium, statim exhibenda sunt blanda ad-

D 2

strin-



fringentia, terrea, ubi insigniter præstat Pulvis sic dictus Pannonicus ruber, Regulæ Diæteticæ in capite ultimo traduntur,

CAP. VI.

DE UTERI PROCIDENTIA.

§. I.

Quamvis lævulenter constet, uterum ob ligamenta sua validissima, tam lata quam rotunda, in cavitate abdominis suspendi & firmari, ut tam facile e situ suo dimoveri nequeat, nihilominus tamen sæpius locum & situm re vera mutasse, descendisse, atque extra abdomen, & quidem inversum, à causis violentis protrusum fuisse, observationes Practicorum bene multæ indubitato loquuntur, Duplici autem modo prolapsus uteri se sistit: Vel enim uterus prorsus invertitur, ita ut fundus illius extra muliebria promineat: Vel non inversus prolabitur, & extra abdomen conspicitur.

§. II.

Quod inversionem uteri concernit, sic illa optime cognoscitur, si matrix non solum prolapsa, sed & sicut crumena inversa est, atque frusti instar carnei majoris, orificio illius plane non conspicuo, pro-  
pendet.

§. III.

Hæcce inversio nunquam ferme fieri potest, quam in partu, vel statim post eum, quo tempore orifici-

um



um uteri tantopere est apertum, ut fundus illius per ipsum delabi possit, & hoc fit, si puerperæ post foetum exclusum, adhuc vehementibus vexatæ doloribus, aërem retinendo, & diaphragma fortiter deorsum detrudendo, uterum per genitalia exprimunt. Quod celeberrimi *Ruysschii* confirmat observatio in uxore cujusdam Ianionis, quæ foetum enixa est robustum, ubi illico simul cum placenta uterina uterus inversus secutus est, & os uteri internum nec sensit, nec oculos incurrit, prout videre est *Fig. XII. Obs. X. p. 16.* Inprimis autem hujus inversionis causa est vehemens secundinarum extractio, ab imperitis Chirurgis vel obstetricibus facta, dum funiculum umbilicalem plus, quam par est, attrahunt, & simul fundum uteri, cui adhuc annexa est placenta, extrahunt. Talem inversionem uteri ab incauta secundinarum extractione observavit *Deventer de arte obstetricandi p. 127. Manu.* inquit, *statim a partu in uterum immissa, periculum non est, ut funiculum umbilicalem trahendo & fundum detrahas, aut uterum invertas, quod plus satis quidem usuvenit imperitis obstetricibus, quæ ex ignorantia sibi persuadent, alium adhuc infantem prodire, rata, fundum uteri esse caput, qualem ego aliquando spectavi tragoediam, qua talis ignara obstrix puerperam vitæ periculo exposuerat.* Exemplum ejusmodi etiam allegat *Bohnius de renunciatione vulnerum lethalium p. 396.* Similem violentam manum est experta ab imperita obstetrice foemina illa, quam adduxit *Genselius in Eph. N. C. Cent. I. & II. p. 421.* Plura exempla occurrunt in *Blasii Observ. Anat. Pract. Mauriceau l. c. Lib. III, cap. 6, Viardel l. c. Dionis Lib. IV, cap. 7.*

D 3

§. IV.



## §. IV.

Jam progrediendum est ad procidentiam uteri sine inversione, facillime cognoscendam ex orificio, in inferiori prominentis uteri parte, oculis se sistente. Hujus mali causa est nimia relaxatio & debilitas ligamentorum uteri, tam latorum, quam rotundorum, vel potissimum utrorumque simul. Contingit sexui foemino frequentius tempore puerperii, quale exemplum suppeditat *Merclinus in Eph. Nat. Cur. Dec. II. A<sup>o</sup>. III. Obs. 92.* de foemina, quæ sectione Cæsarea fuit conservata, licet foetu, ante illam jam in utero extincto, & *Dec. ead. Av. II. Obs. 149.* *Schelhammerus* observationem de uteri prolapsu. Ejusmodi procidentias etiam extra partum in foeminis, quæ conceperunt, vel non conceperunt, vel nunquam gravidæ factæ sunt, obvenire; Imo virgines & non maritas exemptas non esse testatur supra laudatus *Mauriceau in suis observationibus gravid. obstetric. & Schurigius in Gynecologia sua p. m. 214. & seq.* Contingit quoque sæpius in partu, uteri lateralem portionem procidere, uti annotavit celeberrimus *Ruyschius in observ. Anat. Chirurg. Obs. 24. p. m. 31.*

## §. V.

Sæpius etiam foeminis præsertim post partum accidit procidentia vaginæ uteri, quæ nihil aliud est, quam vaginæ hujus relaxatio, prolongatio, & extra abdomen proruptio, Sæpè confunditur cum procidentiis uteri, quas magnitudine, figura & colore fermè æquat; & hinc factum est, ut Authores quidam, uterum prolapsum non solum absque ullo damno excisum, sed & foemi-



foeminas tales posthac gravidas factas fuisse & peperisse, scripserint; quod quidem fieri potest in proci-  
 dentia vaginæ, minime vero uteri ipsius. Facile au-  
 tem hæ dignoscuntur, si cognita uteri structura, &  
 signa, in præcedentibus data, probè observantur. Ple-  
 rumque accidit foeminis, pondus gravius elevantibus,  
 vel diffulter parturientibus, uti observavit *Meckren*  
*cap. 51.*

§. VI.

Cura horum prolapsuum non differt, & quoad  
 maximam partem ope chirurgica absolvitur. Si igitur  
 ejusmodi contingunt, opus est, ut quantocyus fieri  
 potest, partes hæ, vel ab obstetrice, vel a Chirurgo,  
 hujus artis gnaro, demum blandissimis, & oleo vel  
 butyro inunctis, digitis retrudantur, aliàs inflamma-  
 tionis labem, vel scirrhum, crancrum contrahunt &c,  
 & imprimis inversio uteri citam exposcit opem, aliàs  
 brevi interit ægra. Cavendum tamen, ne uteri prola-  
 psi & graviter inflammati cum vi intrusio fiat, quæ  
 alias gangrænæ, sphaceli & mortis esset causa. Antè  
 repositionem uteri ægra necessum habet, ut prius uri-  
 nam cum facibus emittat, quibus aliàs haud leviter  
 impeditur operatio. Sirum verò servet ægra capite  
 declivi, lumbis altius positis, cruribus disjunctis & re-  
 tractis. Sic namque Chirurgus vel obstetrix operatio-  
 nem aggrediatur, & repositionem uteri digitis, inci-  
 piendo a parte inferiori, versus intestinum colon spe-  
 ctante, & pergendo ad anteriorem, suscipiat. Ne  
 autem uterus jam repositus tam facile relabatur, ille  
 annulo quodam in suo situ retineri debet. Horum  
 vero annulorum, pessaria alias dictorum, figuras va-  
 rias



rias exhibuerunt multoties jam allegati Authores ob-  
ferricantes. *Mauriceau l. c. Dionis L. III. p. 309. Vi-  
ardel l. c. p. 217.* Hujusmodi pessario, paulo majori  
aperturâ vaginæ, recte applicito, uterus non tan-  
tum in abdomine retinetur, sed & mulier, nullis aliis  
remediis opus habet, negotiisque suis uti antea, ita &  
in posterum vacare potest.

CAP. VI.

DE OPTIMA ET RECTA PUER-  
PERARUM DIÆTA.

§. I.

Consideratis jam, quantum pagellarum angustia  
permisit, morbis quibusdam, quibus puerperæ infe-  
stari quam maxime solent, superest, ut regimen quo-  
que ipsis præscribatur, quo partim morbos hosce  
avertere, partim istis detentæ, eo melius iis obviam ire  
possint. Diæta autem res, uti Physiologi loqui  
amant, non naturales, necessario nos alterantes, invol-  
vit. Inter has itaque primo loco sese sistit Aër, cujus  
ad sustentandam vitam inevitabilis & summa est ne-  
cessitas, quemadmodum, pulchris exemplis, bene-  
ficio antliae pneumaticæ, ad oculum manifestum fit,  
dum pro nostro arbitrio addendo vel subtrahendo æ-  
rem animantibus vel vitam demere vel etiam largiri  
possumus. Coeli itaque mutationem inter præsentis-  
sima ad recuperandam sanitatem in gravissimis  
chronicis passionibus auxilia esse referendam,  
cum Hippocratis auctoritate, tum experientia optima,  
rerum



rerum magistra edocemur. Quod si itaque aër temperatus ac purus præcipuum vitæ ac sanitatis fomentum est, atque tonum, motum, robur solidorum moderatur, fluidis quoque crasin inducit, quidni aër intemperatus, & præter naturam constitutus, corpus nostrum afficere, alterare & multis morbis proferendis idoneus existere poterit? Non sine ratione scribit *Hippocrates Lib. de natur. human. § 18. morbi, iniquis, partim ex diatis, partim ex aëre, quem inspirando trahimus, sunt.* Quod si igitur aër in quopiam morborum genere infensus esse potest, in illo certe præprimis valet, quod sexum sequiorem & inprimis puerperas, invadere solet. Hanc ob causam primaria puerperæ cautela esse debet, ne aëri frigido sese exponat, hinc suadendum est, ut statim, post editum foetum, & secundinas rite expurgatas, genitalia indusio puerperæ, a parte anteriori ad posteriorem, & ab hac ad illam replicato, vel alio linteo tri- aut quadruplicato, tegantur, quo aëris accessus, quantum fieri potest, ab illis arceatur; alias n. facillime fluxus lochiorum impeditur, & alia symptomata oriri possunt, de quibus supra jam actum est; Studeat itaque aëri calenti, non excedenti, sed moderato, quo transpiratio insensibilis promoveatur, omniaque minantia mala avertantur. Igitur morem hujus loci familiarem comprobare haud possum. dum nimirum conclavia, in quibus puerperæ jacent, exornantur, atque a sordibus mundantur, sic enim facile fit, ut non modo in quiete sua turbentur, sed etiam facillime ad iram provocentur.

Dann wann die Fr. Baassen die Stuben nicht recht aufräumen, so ist es eine Schande vor denen Frauen

E Gevat-



ferunt. Sic etiam horum opinio improbanda, qui ægras calore excruciant, eas in lecto hypocaustoque fervente, tanquam in ergastulo detinendo, nonnunquam ad lithymias ferme cogunt. Sanguis enim hoc modo privatur suo fero, & acrimonia visciditasque supermanet, gravissima spondens symptomata nova.

## s. II.

Corporis humani integritas convenienti sanguinis ac humorum copiae & qualitati, ceu fundamento, superstructa est, unde facile apparet, omnia ea, quæ justam humorum temperiem & quantitatem tuentur, sanitati præsidium ferre; quæ vero his adversantur, insalubria habenda esse. Quæ igitur hanc æqualem proportionem turbare quam maxime possunt, sunt assumpta, esculenta nimirum & potulenta. Hanc ob causam accuratam observet Puerpera dietam, necesse est, alias corpus ejus, ad morbos pronum, alteratur, atque morbis corripitur. Itaque primis diebus juscula, quæ sunt parata ex carne bubula, pullo gallinaceo, & carne vitulina, columbarum &c. sunt propinanda, uti & cremor hordei cum vitello ovorum conducit; reliquis diebus potest etiam aliqualis portio, successive major, harum carniū puerperis concedi. Reliqua vero omnia sunt dissuadenda, tristissima n. à mala observata dieta, docuit experientia, quod mulieres in varios conjectæ fuerint morbos. Potus nullus alius ipsis est concedendus, quam calidus, ex speciebus pro pot. infant. aut adultorum, aut quibuscunque aliis convenientibus, paratus. Hinc cerevisia, vinum & quæ sunt alia potus genera, sunt vitanda, quoniam vel flatulentia inducitur, vel sanguis



sanguis in nimium concitatur motum. Sed missis his de cibo & potu, ad reliquas res non naturales prope-  
randum.

s. III.

Si de quodam conqueruntur post partum mulie-  
res incommodo, certe est somni defectus sive vigiliæ  
nimix, experientia n. docuit, eas sæpius tres pluresve  
dies vigilantes jacere. Quam ob causam omnis eò est  
vertenda cura, ut moderatus ipsis concilietur somnus,  
habitò simul respectu ad lochiorum fluxum, qui si ni-  
mius, ægræ quidem somnus statim post partum non  
admittendus, sin minus, semper illis convenit. Errant  
igitur ii, qui volunt, somnum puerperis, lochiis  
etiam moderatè fluentibus, statim post partum esse in-  
terdicendum, cum expertum habeamus, fœminas ejus-  
modi modo, multa ipsis minantia mala, evitasse *Dio-  
nis l. c. cap. 1. Lib. 4.* dicit, *dans l'ancienne pratique*  
*on ne vouloit pas, que les femmes dormissent incon-*  
*tinent après leur accouchement. On ne faisoit demeu-*  
*rer auprès du lit de la Reine pendant trois heures*  
*après qu'elle étoit accouchée, pour l'entretenir, &*  
*l'empêcher de dormir. Mais aujourd'hui on con-*  
*damne cet usage; on leur permet de s'endormir aussi-tôt*  
*qu'elles ont pris un bouillon, parcequ'on pretend, que le*  
*repos & le sommeil reparent toutes les fatigues, qu'elles*  
*ont eues en accouchant.* Omni itaque tempore, nisi lo-  
chia valde excedant, somnus moderatus mulieribus  
utilis est. Cum è contrario vigiliæ immodicæ & diu-  
turnæ corpori noceant, quia nimium fibras, uti *Cele-  
berr. Hoffmann.* ait, corporis exsiccant, ipsis nutri-  
mentum subtrahunt, & vires consumunt. Hinc fa-  
cile



cile lochia supprimuntur, febris augetur & in malignam mutatur.

§. IV.

Consideratis jam tribus hisce rebus nonnaturalibus, de quiete & motu pauca dicenda sunt. Omnis motus, deambulatio præmatura per hypocaustum, ut & omnia alia negotia intermittenda sunt; quid enim inquietudo puerperæ noceat, supra, ubi de lochiorum nimio fluxu actum est, dictum. At quietes quam maxime hoc in casu convenit; quiescendo enim artus laboris ad partum vehementia & diurnitate defessi, reficiuntur, atque ita lochiorum fluxus promovetur, transpiratio corporis insensibilis non impeditur, & agrotata ab omnibus mortis periculis præcavetur. Ad quietem commode etiam referri potest situs puerperæ in lecto, & quidem situs horizontalis, qui ad retardandum nimium lochiorum multum facit, quemadmodum capite & reliquo trunco magis erecto ad eum promovendum, situm confert Symbolum. Sic & cruribus complicatis vel ad se invicem approximatis excessus hujus fluxus præcavetur, quemadmodum illis divaricatis augetur. Hic autem situs non commendatur cum in finem, ut ossa pubis, ac si in partu a se invicem essent distensa, de novo conerescere debeant; cum enim versus eum locum, ubi minor est resistentia, semper fiat actio, illa autem minor est in capite infantis, sic necessario hoc, teste quoque experientia in omnibus recens natis, potius comprimitur, ut angustiam hujus viæ subire possit, quam ut ossa hæc a se invicem removeantur. Hic quoque inferere liceat fasciam, qua abdomen



men post partum, ut subsideat, cingendum est, hæc autem circa eam cautio adhibenda est, ut primis diebus laxior, & sensim strictior reddatur, & male consultum esset mulieribus, si per unum vel alterum diem fascia strictiori ad solitam magnitudinem vellet & abdomen & uterum revocare, maximè cum ab ea restrictione uterus inflammationem facile pati posset. De Excretis & retentis autem sermo hic mihi non est, cum B. L. hæcce capite IV. inveniet, quam ob rem, ne cramben bis costam apponam, hic supersedeo, & potius ad animi pathemata me confero.

### CAP. V.

Restat adhuc animi affectuum contemplatio, de quibus breviter dicitur, quod summe fugienda sint cuncta animi pathemata graviora, ac inter illa præprimis ira. Insignis enim orgasmus oritur sanguinis, adeo ut nonnunquam febres sibi exinde concilient puerperæ, sed etiam semetipsas hac iracundia præcipiti in perniciosam præcipitent paralytin, de qua re vid. *Tulpium Observat. Med. Lib. II. Cap. 20.* & quæ alia morborum genera exinde demonstrat *Stalpart van der VViel in observat. rar. Cent. I. Observ. 29.* & quamvis, etiam febres quartanas aliquando terrore fuisse sublatas, legimus, nostris tamen puerperis terror res non æque profutura est, quippe quas potius ab omni horroris pavore precamur alienas, ne febrem ac pleuritidem contrahant molestam, ut legere est ap. *Plater. Observ. Lib. 2. p. m. 400.* Plura qui de animi affectibus legere cupit, evolvat *Celeberr. Christ. Joh. Lang. de mortuis ex ani-*




*mi commotionibus, & de animi commotionum vi medica, uti & Pauli Dissertat. de animi commotionum vi medica. it. & D. D. Gutermann. Dissertat. de Efficacia animi pathematum in negotio sanitatis & morborum. Et hæc sunt, quæ in morborum mulierum, & imprimis puerperarum, consideratione fari concessa fuere. Deo T. O. M. debitas persolvo gratias pro concessis ad hunc laborem viribus, cui etiam perpetua sit LAUS HONOR & GLORIA.*

F I N I S.













Straßburg, med. Diss. (17. Heisehe  
Huthe (17))

ULB Halle

3

005 361 729




WMA  
VD18











I. N. J.  
DISSERTATIO <sup>2</sup>  
PUGURALIS MEDICA  
DE  
PERPERARVM  
VALETVDINE.

QUAM  
DE SUMMO ARCHIATRO  
K DECRETO ET AUCTORITATE  
TIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ

MA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE

OLICENTIA  
MOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET  
ILEGIA DOCTORALIA  
TE LEGITIMEQUE CAPESSENDI  
EMNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBJICIT.

ES PETRUS HIRSCHFELD,  
I-MONTANO-LAUTERBACENSIS

H. L. Q. C.  
em 26. Junii M DCC XXXIII.

ARGENTORATI,  
t SIMON KÜRSNER, Cancell, Typogr.

